

rius, Phlegon, Celsus, Numenius, Lucianus, nec non Imperatores, Trajanus, Antonius Pius & Marcus Philosophus. Non omittendus sanè Josephus qui lib. 18. antiq. Jud. cap. 4. mira de Christo eloquitur.

Sancti Evangeliste, scriptis mandarunt Christum in Bethleem esse natum ex matre paupercula, eumque in Ægyptum profugisse. Id quoque agnoscit Celsus, tametsi Christiani nominis infector infensissimus. Quin ex tabulis censualibus Romanorum, ad quas provocat Justinus, Tertullianus, & Chrysostomus, ex censu etiam illo, quem, nascente Christo, indixit Imperator Augustus, aperte constat Christum natum esse in Bethleem. Nec referre impresentiarum pigebit Mahumetem ultrò fateri Jesum esse illibata Virgine natum.

Scriptores Canonici enarrant stellam miraculosam in ortu Christi apparuisse, Magos ex Oriente ad cunas Jesu eum adoratos, venisse, Herodem in Judæa regnantem in pueris ab imatu & infra à Christi adventu natos sævisse. Porro hæc vera & extra omnem dubitationis aleam posita esse constat Ethnicorum testimonio. Namque novum Sydus post Christum natum in cœlis præfulsisse, ad eumque Magos accessisse fatetur Julianus Apostata, quamvis odio in Christum percitus hujus stellæ ortum, in causas naturales refundat. Macrobius scriptor Ethnicus lib. 2. Saturnaliū cap. 4. fuso calamo describit cladem impiam quæ Herodes infantulos obtruncavit, his verbis : „Cum audisset, Augustus, inter pueros, quo „in Syria Herodes Rex Judæorum intra biennium „occidi jussit, filium quoque ejus occisum, ait : „Melius esse Herodis porcum esse, quam filium.”

SS. Matthæus, Marcus, Lucas & Joannes multa commemorant Christi miracula, quibus ipse suam obsignavit missionem. Sed & huic enarrationi non refragantur Infideles, videlicet Celsus apud Origenem lib. 2. contra illum, Julianus apud S. Cyrillum lib. 6. adversus hunc Apostatam, qui omnes ultrò fatetur Christum aliqua patrassse miracula : hoc ipsum & affirmat Mahumetes in Alcorano : immò testimonium ab ipsis Judeis inimicis oculatius testibus habemus.

Quid plura referam? Stupendam solis defectionem & terribilem terræ concussionem quæ Christo moriente contigerunt, scribunt Evangelistæ ; narrantur quoque à Phlegonte Ethnico Scriptore lib. 13. Olympicorum Chronicorum. Igitur, vel ipsis fatentibus paganis vera scripserunt novi Testamenti Evangelistæ.

TERTIUM ARGUMENTUM

Petit ex concordantia novi cum veteri Testamento.

ILLI libri sunt genuini qui concordantur cum braculis Prophetarum, promissionibus Patriarchis factis & hoc multis retrò sæculis ante Christum natum, quem omnes cæteras Test. figuras tum in sacrificiis, tum in sacramentis expressas præcludunt : Atqui tales sunt libri novi Testamenti : Ergo &c. Major patet, quomodo enim citrà miraculum fieri posset, ut tantopere in se distantia concordarent, si veritas omnium fortior, omnibusque temporibus, quinimò & hominum passionibus dominans non adesset : Probatur igitur mi-

Tom. III.

nor in qua solum reperitur difficultas.

Primoquidem, Quia eandem fidem, eandemque doctrinam, saltem quoad substantiam, continent libri novi Testamenti cum doctrina veteris Testamenti : Eundem quidem Deum & Christum, eandem præcepta, eundemque prædicant finem & beatitudinem.

Secundo : Novum Testamentum omnes terminat veteris figuras : Messiam enim quem prænuntiaverunt Prophetæ, præsentem exhibet : sacramenta virtute majora succedunt legis Mosaicæ Sacramentis : Nova lex habet Sacrificium quæ Sacrificia Mosaicæ rimatur quidem, sed virtute nedum adæquat, verum etiam longè præcellit, juxta illud Heb. 10. de Christo summo Sacrificatore : *Unâ enim oblatione in sempiternum consummavit sanctificatos*. Quam quidem doctrinam Patres certatim propugnant, explicant, atque defendunt.

Athenagoras in sua pro Christianis legatione sic loquitur : „Fidei nostræ testes habemus Prophetas, qui Christum de Deo & rebus divinis disseruerunt. Si rationibus niteremur, meritò humanam esse persuasionem nostram aliquis putaret : verum insuper Prophetarum voces animare nostras : unde Irenæus lib. 2. cap. 57. dicit ad Prophetarum libros, remittendos esse eos qui nolunt miraculis, quibus fides Christi propagata est, credere.”

Origenes lib. 1. contra Celsum de adversario suo queritur quòd Judæi credant vaticiniis Prophetarum & tamen nolint credere iis quæ sequuntur ad Prophetas de Jesu Nazareno : Eandem doctrinam confirmat Tertullianus lib. adversus Judæos, & Cyprianus in suis vicissim libris adversus eosdem.

Lactantius lib. 5. divinarum institutionum, cap. 3. sic loquitur : „Disce igitur, si quid tibi cordis est, non idcirco à nobis Deum creditum, Christum quia mirabilia fecit, sed quia videmus in eo facta esse omnia quæ nobis annuntiata sunt vaticinio Prophetarum.... Prophetarum testimonio, qui omnia quæ fecit, & quæ passus est multò ante cecinerunt, fidem divinitatis accepit.”

Succinit egregiè S. August. lib. 18. de civitate Dei, cap. 40. his verbis : „Cui enim narranti melius præterita credimus, quam qui etiam futura prædixit, quæ præsentia jam videmus? Unde lib. 12. contra Faustum, cap. 45. „Non contemnerentur... quæ Apostoli annuntiabant, demonstrabantur hæc à Prophetis ante fuisse prædicta. „Non ergo mirum si & Christus & Apostoli, ut doctrinam suam tutò confirmarent, veterem Scripturæ legem & Prophetas toties appellarunt. Legatur v. g. sanctus Matth. cap. 18. vers. 21. laudat Isaiam, cap. 2. vers. 6. Michæam vers. 15. ejusdem capituli : Ozeam, & vers. 18. Jeremiam, ita non solum ille, sed & cæteri Apostoli scriptores post Christum Magistrum multa adduxerunt veteris Testamenti vaticinia, quæ etiam notata sunt ad marginem accuratarum novi Testamenti editionum, frustra à nobis omnia appellarentur.

Idem S. Doctor hanc prosequitur probationem lib. 10. de civitate Dei, cap. 32. relatis enim diversis Philosophorum sententiis, qui, inquit, neque in beatitudine astruendâ, neque in mediis ad eam conducentibus, vera scripsere, subdit : „Non talia sancti homines in ista universali animarum